

Matthaeus Schwante

## **De Gloriosa Ascensione Et Nobili Triumpho victoris Christi. Oratiuncula**

Rostochii: Reusner, 1603

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756501385>**


Druck Freier  Zugang



M. Swanth.

R. U. theol. 1603.

7







DE GLORIOSA  
ASCENSIONE ET NO-  
bili Triumpho victoris  
CHRISTI.

Oratiuncula,

*Scripta, & in illustri Rosarum Aca-  
demiâ Cal. Junij, Anno 1603.  
publicè pronunciata,*

à  
MATTHÆO SVANTH  
Stralsund, Pom.



*ex  
Bibliotheca  
Academice  
Rostochiensis*

ROSTOCHII  
*Prælo Reusnerino. Anno 1603.*

*EXCELLENTISSIMIS, CLA-  
rissimis, Consultissimisq; Viris,*

DN. GERVASIO MARSTALLERO,  
Doctori, & Illustrissimi Principis ac Domini, Domi-  
ni BVGISLAI, Stetinensium, Pomerano-  
rum, &c. Ducis, Medico:

DN. PROTASIO MARSTALLERO,  
I. V. D. & Illustrissimi Principis ac Domini, Domi-  
ni CAROLI, Megapolensium Ducis,  
Confiliario:

DN. MARTINO MARSTALLERO,  
Illustrissimi Principis Domini BVGISLAI, Ste-  
tinenfium, Pomeranorum, &c. Ducis,  
Confiliario:

*NEC NON*

*Humanissimo ac Doctissimo*

DN. WILHELMO MARSTALLERO,  
Illustrissimi Principis VDALRICI, BVGISLAI  
Filiij, Præceptorij:

*FRATRIBVS GERMANIS,*

*Domini Patronis & Mecænatis meis  
singulariter honorandis,*

Hasce studiorum meorum primitias

offero

*Misericordia Salvatoris Sanat Pios.*



# Rector ACADEMIAE RO- STOCHIENSIS

M. EILHARDVS LVBINVS  
S.



Ota Religio, omnisq; Doctrina  
Christiana in duobus hisce cardi-  
nibus vertitur: Vt & nostrum  
morbum ex Lege cognoscamus; &  
ejus remedium in Christo Salva-  
tore nostro quaramus. Est enim  
Religio nostra Schola illa, in qua hominis erga DE-  
VM officium & rationem docemur, qua homo DEO  
conciliatur & conjungitur. Cum enim totum ge-  
nus humanum horribili primorum parentum lapsu in  
Peccatum & Mortem praecipitatum esset, nihilq; ul-  
terius caussa restaret quin Diaboli & Mortis servi-  
tute pressum, tanti debiti solutione aeternum liquesce-  
ret & dissolueretur: Gratia & Pax per JESVM  
CHRISTVM humano generi relata & oblata est;  
qui unicus & unice dilectus DEI filius, Justus pro  
injustis, potens pro infirmis, locuples pro pauperibus.

A 2                      gratius

gratus & acceptus DEO patri suo pro nobis miseris  
peccatoribus iram & maledictionem, pœnasq; ater-  
nas promeritis, immenso & infinito suo merito satis-  
fecit, & homini, quem ante creaverat interventu  
suo, iram DEI placavit, & veniam impetravit.  
Et hæc humani generis redemptio adeo admiranda &  
miraculosa est, ut ejus consideratione non immerito  
omnis humana Sapientia, & ipse adeo tenebrarum  
princeps, hostis DEI Diabolus turbetur. Quis enim  
in seruili illâ formâ & infirmitate, quâ humana Sa-  
pientia offenditur; omnipotentiam diuinam non  
manifestissimè animaduertat? Natus est, obji-  
ciunt: Sed, respondemus ex virgine. Infirmus fuit;  
sed & mari ac ventis imperavit, & agrotos verbo  
sanavit. Cruci fuit adfixus. Sed crucis ignominiam  
in aeternam gloriam, & maledictionem in benedictio-  
nem transmūtavit. Et spinis fuit coronatus. Sed  
& Reges ad ejus genua prostrati, & Imperatores ad  
ejus pedes provoluti, diademata sua ultro abjiciunt.  
Nimirum per ignorantiam vicit Doctrinam, per  
stultitiam Sapientiam, per imbecillitatem potentiam,  
per clades trophæa, per ignominiam triumphos. Nem-  
pe qui pro nobis mortuus est, sed & mortuos resuscita-  
vit, & suâ virtute à mortuis resurrexit, & univer-  
sum mundum sub pedibus suis premens, super omnes  
cœlorum cœlos **ADSCENDIT.**

Tavt

ταῦτα πίνει, ταῦτ' ἐκμελέτα, τῶν χερῶν ἔρανον σε,  
ταῦτα σε τῆς θεῆς ἀρετῆς εἰς ἰχθὺν θύσει.

Ut aureo illo Pythagora te compellem. De hac glo-  
riosa Salvatoris nostri JESU CHRISTI in caelum  
ADSCENSIONE, qua Remissionem peccatorum,  
Justitiam & vitam aeternam nobis reparavit, insi-  
gnem & elegantem ORATIONEM conscripsit  
MATTHAEVS SVVANTE Sundenfis, juvenis  
doctissimus & ornatissimus, quam hodie hora IV.  
recitaturus est in Auditorio Magno; ad cujus au-  
scultationem Academia nostrae civis reverenter  
& amanter invito. P. P. Anno  
1603.



A 3

Quamvis



Vamvis, Magnifice Domine Rector, Viri Reverendi, Clarissimi, Doctissimi, Præceptores observandi, nec non Nobilissimi & Studiosissimi Iuvenes, verear, ne turpe sit hominem imperitum ad dicendum surgere, qui neque ingenio neque dicendi facultate, cum ijs qui sedeant, sit comparandus: Atamen de re maxima juxta ac inenarrabili, de glorioso, inclyto & lætissimo victoriosæ Ascensionis CHRISTI triumpho, perpauca, cum temporis circumstantia ejus nos commonefaciat, in medium proferre perplacuit. Tantam enim benevolentiam atq; misericordiam, tantum amorem, tam deniq; incredibilem *φιλανθρωπίαν* silentio nullo modo prætereamus oportet. IESVS enim CHRISTVS glorioso suo triumpho, & ingressu in æternum DEI tabernaculum, nobis omnibus æternam salutem paravit & promeritus est. Dolebat scilicet vehementer (vehementer inquam dolebat) angebaturq; , creaturam talem, quæ non ad alterius: sed ad suam imaginem erat creata & fabricata, in eodem innocentiaæ statu immotam firmamq; non perstitisse, nec fas esse dicebat, diaboli technis insidijsq; deceptam, ad æterna supplicia & pœnas detrusum iri. Quocirca lætissima sua pompa triumphali, qua die post resurrectionem

nem

26

nem 40. magna Sanctorum Angelorum caterva,  
magno resuscitatorum patrum agmine, ut à longè  
doctissimis existimatur, stipatus, non Romanum  
sed cœleste Capitolium tanquam victor & trium-  
phator magnificentissimus conscendit, captivita-  
tem æternam captivam duxit; Stygios principatus Eph. 4. v. 8  
& potestates expoliavit, expoliatasq; palàm tradu-  
xit, atq; hoc modo omnibus, salutis anchoram in i-  
psum figentibus, amissam patriam plenissimè recu-  
peravit, recuperatamq; restituit: pristinam liberta-  
tem fœdissimo primorum parentum peccato deper-  
ditam reduxit, ac insignia sui amoris & fœderis  
*καθημερα* abundanter reliquit. In propatulo enim sin-  
gulis positum est, in omnibus suis officijs & præci-  
puè in hoc ipso, eum nostram salutem omnibus dia-  
boli nequitijs, omnibus pessimorum quorumlibet  
insidijs, quibus undiq; in hac terra subjectus & cir-  
cumseptus fuit, anteposuisse. Grata itaq; mente  
sancta Ecclesia hoc die summo cum júbilo, summoq;  
cum applausu Victori ac Triumphatori nostro præ-  
stantissimo gloriæ & laudis hymnos dixit & decan-  
tavit. Cumq; cum minor ad nos quam ad omnes  
omninò Christianos ex gloriosa CHRISTI ascen-  
sione profecta sit utilitas, quis vestrum quæso foret  
auditores ornatissimi tam ingratus, tam inhumanus,  
atq; ab omni pietate & honestate alienus, qui hunc  
triumphum inclytum, lætissimum, clarissimum, sum-  
mo honore, summaq; laude prosequendum dubita-  
ret? Sed cujus quæso cujus inquam tantum est in-  
genij flumen, tanta dicendi vis, tantaq; copia, quæ,  
non dicam exornare, sed ut æquum justumq; enarrare  
triumphum hunc gloriosissimum posset? Tune Al-  
cibiades

III

cibiades, qui in inveniēdo omnium fuisti acutiffi-  
mus, referente Plutarcho, hoc ipsum præftares? Tu-  
ne Archimedes, præftantiffime ingenij acumine in  
Geometricis, hæc delineares? Tune hoc tibi Cicero  
eloquentiffime fumeres? Tuane in dicendo gravi-  
tas Q. Hortenfi hæc perficeret? Angelicam fanè &  
divinam hæc vocem, divinumque requirunt inge-  
nium. Non enim *ψιλῶ ἀνθρώπῳ καὶ σαμαλικῶς* trium-  
phum hunc duxit infignem, non Alexander Ma-  
gnus Macedonum Rex, non Romulus, non M. Mar-  
cellus in quo tantus animi vigor fuit, ut apud Padum  
Gallorum Regem ingenti exercitu ftipatum, cum  
paucis equitibus invaderet, quem protinus obtrun-  
catum, armis exuit, eaque Iovi Feretrio dicavit. non  
C. Marius, non Cn. Fulvius Flaccus vel alius quis-  
piam victor hostium Romanorum præclariffimus;  
Sed filius ipse DEI IESVS CHRISTVS æternus, o-  
mnipotens, immortalis. Non Sabinos, non Samni-  
tes, non Veios, Sardos, Aphricanos, Britones, a-  
liosque his longè sublimiores bello devicit; sed uni-  
verfi mundi, infinitæ diabolorum turbæ, mortis, in-  
ferni & peccati victor & triumphator excellentiffi-  
mus existens, non tantum sua fed nostrum omnium  
causa, quotquot ab initio mundi vixerunt, adhuc  
vivunt, & ad extremum usque diem victuri sunt, tri-  
umphavit, quæ quidem omnia tam magna sunt, tam  
præstantia, tam præclara, ut vix ac ne vix ea cujus-  
quam mens aut intellectus, ne dicam oratio attinge-  
re capere valeat. Si ergo de hac materia nun-  
quam satis laudata, minus sufficienter & pro digni-  
tate rei dixerō, me magis consuetudini cessisse judi-  
cabitis, quàm quod me nova & plausibilia adductu-  
rum

26  
rum vobis persuasum habeatis, illius pervulgati memores: In magnis voluisse sat est. Dicam itaq; & quidem brevissimè dicam de gloriosa ascensione & magnifico Domini nostri IESV CHRISTI triumpho, de qua ut me dicentem Auditores Ornatissimi, quantum ingenij mei tenuitas fert, & quidem balbutientem potius, quam perorantem benignè & non gravatè audiant etiam atq; etiam magis opero rogo & obtestor.

Principio ter opt. Max. DEVS, postquam sapientissimo consilio & prudentia admiranda protoplasten Adamum incorruptibilem, immortalem & innocentem creasset, itaq; creatum principem ac totius mundi dominum rerumq; omnium quæ sub eo continentur statuisset, præcepit severissimè ei ne ex arbore ista scientiæ boni & mali quicquam gustaret, annexa mortis pœna & æterni exitij. Sed Diabolus perpetuus operum DEI hostis & insidiator callidissimus, homicida ab initio pessimus, omnis generis fallacias, calliditates & astutias imposturas ad decipiendum hominem intendit, omnèq; lapidem movit, ut eum æterna immortalitate privaret, privatumq; ad stygias undas præcipitem daret. Gen. 2.17.

Atq; initio quidem Evam dolo illexit, blandissimisq; verbis persuasit, vetitum cibum ut gustaret, quæ deinceps Adamo quoq; persuasit, legem Dei ut transgrediretur. Qua transgressa pudere eos nuditatis suæ cæpit, & sese à facie DEI, quod antea facere non solebant, abscondere. Itaque eos ejecit DEVS ex paradiso, sententia hac lata, ut ex maledicta terra comederent cunctis diebus vitæ suæ, victumque labore & sudore sibi conquirerent, atque

B

omnis

omnis generis angustias, molestias, anxietates & calamitates sustinerent. Nulla enim miseris hominibus in æternum exitium adductis atq; perpetuò à facie DEI abjectis, vel restitutionis spes, vel liberationis fiducia superesse videbatur. Verùm enim verò quid accidit? Clementissimus DEI filius horum miseris, sit æternò patri supplex, seq; *λυτρον* sufficientissimum pro Adami, imò pro universi mudi peccatis ultro lubens volens offert. Quo oblato placatus misericors DEVS Pater, lætissimam promulgat de venturo semine promissionem, quæ postea sanctis patribus sæpè imò sæpissimè fuit repetita, multisq; figuris & imaginibus veteris Testamenti adumbrata & proposita, cujus promissionis fidem diu multumq; sancti patres profundissimis suspirijs gemitibusq; maximis expectarunt, donec certo & completo tempore Filius DEI de cœlis descendit, atq; humanam naturam in utero Mariæ virginis assumit, pauper nascitur, cum hominibus suavissimè ad annum ætatis 33. conversatur, & ijs completis pro nostris peccatis patitur, crucifigitur, moritur, & tertio die resurgit: immò in hoc mundo 40. dies à lætissima sua resurrectione ad beatissimam usq; Ascensionem amantissimè cum suis discipulis, & absq; dubio cum sanctis illis patribus, qui una ex sepulchris divinitus recepta vita prodierant, collocutus & conversatus est, ostendens illis gloriam suam, ad quam propogandam Apostoli in totum terrarum orbem ablegabantur. Ac si fuit ulla unquam jucundissima in terris familiaritas veræ suavitatis aut voluptatis plenissima, hæc certè CHRISTI cum discipulis & sanctis è morte resuscitatis familiaritas fuit. Nam cum

26

cum officium sibi ab æterno patre demandatum fideliter præsticisset, omniaq; quæ pluribus ante seculis, vaticinijs plurimis à Spiritu S. per patriarchas & prophetas de ipso erant prædicta atq; decantata ad amussim usq; implevisset, omnes hostes fortiter devicisset, captivos ex diaboli captivitate fortiter eripuisset, totius generis humani factus est propugnator atq; redemptor; gloriosissimam tandem debellatis acerrimis suis hostibus obtinuit victoriam, & egit triumphum; quem quidem non flagitavit, ut permultos Romanorum Duces ambitiosè flagitasse certum est; Sed ultro ipsi à patre cœlesti talis est delatus, qualem nec Romanorum quisquam conspexit unquam, neq; victori ac triumphatori etiam fortissimo contingere unquam potuit. Vnde Psalmus 27. admonet, ut ponderantes triumphum & Ascensionem CHRISTI, gaudeamus & lætemur, sicuti lætantur qui dominos suos triumphantes devictis hostibus excipiunt, & triumphalibus acclamationibus prosequuntur. Verba ita habent: Omnes *Psal. 47.* gentes plaudite manibus, jubilate DEO in voce exultationis, quoniam Dominus altissimus terribilis est, Rex magnus super omnem terram, ascendit DEVS cum júbilo, & Dominus cum voce tubæ, psallite, psallite DEO, psallite, psallite Regi nostro, quoniam DEVS est Rex totius terræ, DEVS est Rex super gentes, DEVS sedet super sedem sanctam suam. Quæ verba nihil aliud innuunt, quàm quod CHRISTVS ascenderit ad cœlos, sedeat ad dextram patris, siquidem hæc ascensio est triumphus Christi, ex prælio, quod fuit illi cum hostibus nostris, nimirum peccato, morte, inferno, & diabolo reversi: &

B 2                      repor-

reportantis victoriam de illis hostibus nostris ab ipso devictis, quos in suo triumpho captivos duxit, ut Psalmo 68. & ad Ephes. 4. dicitur: Ascendit **CHRISTVS** in altum, captivam duxit captivitatem, distribuens dona hominibus. Et Coloss. 2. Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ convivificavit cum illo: donas vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans de illis per semetipsum. Non enim simpliciter ascendit in cœlum ut Elias, quem igneo curru in cœlum subvectum esse limpidissimi Israelis fontes asserunt, neq; ut Enoch, quem à Domino translatum esse attestantur: Sed ita ascendit, ut sedeat ad æterni Patris dexteram, id est, regnet cum Patre pari majestate, omnipotentia & dignitate in secula infinita. Quicunq; autem ex Romanis Ducibus triūphum promereri cupiebant, illis à Magistratu missis legitimè bella erant inscipienda adversus hostes apertos, pro subditorum salute, totiusq; populi Romani gloria: Bella enim non ritè indicta, neq; cum legitimo hoste gesta, nunquam triumphum merèbantur. Itaq; P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, & M. Marcello ob captas Syracusas triumphus non decernebatur, quod ad eas res gerendas, sine ullo missi erant magistratu. Sed quid iste triumphator quem Paulus describit? Is profectò in tam sublimi constitutus est magistratu, ut ipsi nec prætoria potestas, nec Consul dignitas, neq; dictatoris honos, imò nec imperatoria majestas ulla ratione æquiparari possit. Omnia enim

26

enim ipsi à Patre sunt tradita. Omnis potestas in cœlo & in terra ipsi data. Omnia ipsius pedibus subiecta sunt, ipsum **DEVS** exaltavit, & dedit illi nomen, quod superat omne nomen, ut in nomine **IESV** omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum, omnisq; lingua confiteatur quod Dominus **IESVS** sit Christus ad gloriam **DEI** Patris. **CHRISTVS** enim ascendens in cœlum non tantum est Rex, sed etiam Caput Ecclesiæ, cum quo nos conglutinati sumus in fide per Spiritum ipsius, habitantem in nobis, sicut membra cum capite conglutinata sunt: quod non Romæ sedet, sed sedet ad dextram Patris. Deinde & à **DEO** ipso, & per præcones verbi sui legitima ratione hoc bellum hostibus indictum fuit. Gen. 3. cap. **DEVS** ipse inquit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius ipsum conteret caput &c. Item Oseæ 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero ô inferne, &c. Hostes autem contra quos victor & triumphator noster gloriosam obtinuit victoriam. sunt: Primò, Peccatum quod suo abolet sanguine, dum se offert victimam pro totius generis humani peccatis, ut nos in **DEO** ipso simus iustitia. Deinde mors, quæ in totum exuta armis est, & absorpta in victoriam, cuiusq; aculeus omnino sublatus: Adhæc chirographum legis est nullum quippe attestante Apostolo cruci affixum, planeq; deletum. Deniq; quia per hunc victorem peccatum sublatum, mors destructa, chirographum legis enervatum, arma diaboli omninò contracta, dissipata, abjecta, etiam ad inferna usq; descendit, atq; omnem diabolorum vim omnemq; potentiam confringit & destruit.

struit. Hoc, hoc & non alio modo triumphum egit  
de peccato, triumphum egit de mundo, triumphum  
egit de morte, triūphum egit de inferno, triumphum  
egit de diabolo. Neq; nostro Triumphatori objici  
potest, quod unquam in omnibus certaminibus cum  
morte & diabolo gestis, in fugam se conjecerit. Ni-  
hil horum: Sed Victor & Triumphator noster non  
solum præsentē angelorū myriadē infinita tanquam  
fortissimus MICHAEL in certamine & acie fortiter  
constitit: Verū etiam in horto & Olivarum mon-  
te cum diabolo *μνομαχίαν* durissimam commisit, eum-  
que felicissimè solus superavit. Vnde quicquid ef-  
fecit, quicquid gessit, omne est ipsius: Socium victo-  
riæ suæ habuit neminem: totum illud quantumcunq;  
est quod certè maximum est (totum illud inquam)  
ipsum. Nihil sibi ex ista victoria Alexander Ma-  
gnus vel aliorum Imperatorum seu Regum quispiam  
qui ab initio mundi vixerunt, vel sanctorum Apo-  
stolorum, vel constantissimorum Martyrum, & ne  
Angelus quidem de cœlo decerpit, quin etiam nec o-  
mnipotens ejus Pater cœlestis sese in hujus gloriæ  
laudem offert, sed ipsi cedit, ejusq; totā & propriam  
esse fatetur. Neq; etiam de CHRISTO dici potest  
quod de Philippo Macedone Apollo protulit:

*Flet victus, sed victorem mors atra peremit.*

Nam hic dux, hic victor atq; triumphator nullo un-  
quam tempore morti posthac subjectus esse potest.  
Qui enim hic? per quem mors sublata est atq; in æ-  
ternum exilium præcipitata, uti 1. Cor. 15. extat.:  
Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors victo-  
ria tua? ubi est mors stimulus tuus? Isne victoris ef-  
set Dominus, quem idem triumphans captivum du-  
cit?

26

cit? talem a. victoriam meritò triumphus sequitur  
lætifs. nullis planè curis sive angustijs turbatus atq;  
impeditus. Sed antequam apud Romanos lætissimi  
triumphi exordium fiebat, undiq; tubicines emitte-  
bantur, qui clangore tubarum omnibus festum illud  
lætissimum instare significabant, quibus deinde  
primus in pompa locus attribuebatur: Sic noster vi-  
ctor priusquam gloriosissimum ordiretur trium-  
phum, emisit suos tubicines, Prophetas nimirum, Pa-  
triarchas, omnes sanctos Patres atq; Ecclesiæ Do-  
ctores, cum sacro verbi DEI ministerio tanquam  
voce tubæ, qui toti mundo, hunc victorem & trium-  
phatorem præ foribus esse denunciarunt, currumq;  
triumphalem in gloriosâ Ascensione præcesserunt,  
ex quibus absq; dubitatione præcipui fuerunt Adam,  
Seth, Enoch, Lamech, Noah, Sem, Abraham, Isaac,  
Iacob, Ioseph, Moyse, David, Elias, Esaias & reli-  
qui omnes Prophetæ & Patriarchæ usq; ad CHRIS-  
TUM. Post hos apud Romanos incedebant illi, qui  
aureos nummos phialasq; aureas ferebant, deinde  
hi qui res pretiosas hosti detractas spectandas exhi-  
bebant. Sic noster victor in suo triumpho pios &  
munificos reges nutritores Ecclesiæ duxit, itemq;  
spolia exutis & debellatis hostibus erepta atq; de-  
tracta. Quæ sunt illa? legis chirographum, crux, fla-  
gella, lancea, omniaq; diaboli ignita tela: hæc seque-  
bantur peccatum, mors, damnatio legis, omniaq; in-  
commoda quæ generi humano à communi hoste,  
structa erant atq; parata: quin hostis ipse infensissi-  
mus diabolus cathenis vincetus atq; ligatus, omni  
potestate sua & vi privatus tristi incessit vultu.  
Quem tandem omnes hæretici & tyranni tanquam  
ejus

ejus amici & familiares tremebundi summo ma-  
re restudineo gradu subsequuntur. Vt autem promi-  
scua militum & Romani populi multitudo cum præ-  
cedentibus Ducibus, Capitaneis & militibus carmen  
triumphale in victoris laudem & honorem læta &  
clara voce cecinit : Ita nostro CHRISTO summo  
cum júbilo à tota sancta triumphante Ecclesia lau-  
des & gratiarum actiones sunt decantatæ, ut ea ra-  
tione beneficiorum ejus & factorum perpetua con-  
staret memoria. Post omnes captivos victor in-  
sedit Sellæ Eburneæ in curru triumphali aureo, quo  
vehebatur per mediam urbem ad Capitolium à qua-  
tuor candidis equis. Sic Iulium Cæsarem ante cur-  
rum triumphalem quatuor Elephantes duxisse, Fu-  
rium Camillum albis equis vectum esse legimus. Ad  
hunc modum Filius DEI tandem in Bethania ( id est  
domo luctus distante dimidio miliari fermè ab urbe  
Ierosolyma versus meridiem ) ubi sæpè precationis  
& concionis causa versatus est Christus, atq; perno-  
ctavit, imò cum morte etiam luctatus est, & à Iudæis  
captus : Hic congregatis discipulis, de multis rebus  
necessarijs atq; utilibus familiariter cum illis collo-  
catus est, & inspectante cœtu frequente visibili spe-  
cie ab illis discessit, & curru triumphali impositus  
Capitolium cœleste cum omnibus qui cum eo resur-  
rexerant occupavit, quo quoq; curru adhuc per to-  
tum terrarum orbem magna pompa vehitur. Estq;  
ejus currus auriga Spiritus sanctus, animalia quæ il-  
lum trahunt ea sunt quæ Ezechiel præviderat, Ho-  
mo, Leo, Taurus & Aquila, quibus quatuor sancti  
Evangelistæ significantur, verbum Christi, vocemq;  
Evangelij per totum terrarum orbem disseminantes.  
Vehitq;

Vehitq; adhuc secum in curru illo omnes pios æternæ læticiæ omniumq; bonorum participes; quem currum insequuntur pij Doctores Ecclesiæ & Scholarum, qui Christi miracula, beneficia & victoriam, per totum mundum prædicant, celebrant, longè lateq; divulgant. Quærere autem quis posset, cur visibili specie ab illis discesserit, sed simpliciter & brevissimè responderi potest, ideo ipsius migrationem visibilem & corporalè fuisse, ut planum fieret quod verè resurrexisset illa ipsa carne, quam ante mortem ex utero Mariæ virginis assumpserat, quam post resurrectionem incredulis Apostolis cotrectandam, præbuerat, ut Apostolis opinionem de suo regno mundano eriperet, quæ tunc prorsus evanescebat cum è terris in cœlum migrasset.

Testes hujus rei fuerunt Angeli, alloquentes spectantem & admirandum cœtum hunc in modum: Quid admiramini? Talis omninò est reversurus quem vidistis ascendentem, nempe visibiliter cum corpore & anima, & ea ipsa quidem specie qua sublatus est. Non enim Christus manu facta vehiculo, neq; auxiliantibus carpentis vectus est, sed naturæ divinæ propria usus virtute carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum in Patris conspectum attulit: Neq; indiguit vectoribus Angelis, ut offendicula tollerent è medio, eumq; portarent manibus, sed ut præcedentes & subsequentes applauderent, & concinentes in jubilatione modularentur cantica nova. Celebrant igitur tanti triumphi magnificentiam lætabundi cœlestes exercitus, & qui descendentem coram pastoribus Bethlehemiticis decantaverant in sublimi præconia, modò expressioribus conatibus  
 C & inten-

& intensioribus jubilis, revertenti ad Patrem, solemniora obsequia impendebant, & festivis effectibus venerabantur hominem longissimè supra se collocatum, quem gloria & honore coronaverat Pater ad dexteram suam collocatum. Atq; ita magno jubilo & inenarrabili læticia & gaudio à castis Angelis & tota cœlesti militia Christus excipitur, & universus Angelorum chorus Christum Victorem & Triumphatorem excipiens, clamat: **SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS** Dominus Exercituum, plena est omnis terra gloriæ & majestatis ejus. Quemadmodum autem Augustissimi victores Romani solebant prædam hostibus ereptam distribuere: ita Victor & Triumphator noster Christus omnis generis dona suis distribuit, inter quæ præcipuum & maximum est Spiritus S. qui Sacramentorum verbiq; ministerio in toto terrarum orbe sibi colligit Ecclesiam, collectam sanctificat, sanctificatam gubernat, & infinitis simul ac inenarrabilibus bonorum generibus cumulatam ornat. Neq; verò victor hic noster ea negligit quæ ad corporis sustentationem necessaria videntur, sicuti nec à primordio mundi ea neglexit, uti ex sacra Scripturæ testimonijs atq; exemplis tum veteris tum novi fœderis satis abundè apparet.

Omnia bona quæ ad vitam ornandam pertinent ipse Christus largitur cumulatissimè, rogatus suppeditat lubentissimè, adjicit promptissimè. Magna quidem hæc sunt auditores optimi quæ diximus, beneficia: majora tamen hæc illa, quod nimirum Christus non solum sibi, sed & nobis triumphaverit. Neq; enim solum potentissimos hostes sua vi & potentia infinita feliciter superavit, sed æternum Patrem

26

trem pro nobis interpellat, ut nos suo sanguine & victoria liberatos, in gratiam clementissimè suscipiat. Itaq; Apostolus Paulus in fide gloriatur & triumphat, Rom. 8. Quis accusabit electos DEI? DEVS est qui justificat. Quis est qui condemnet? CHRISTVS est qui mortuus est, imò qui etiam resuscitatus est, & est ad dextram Patris, & intercedet pro nobis. 1. Iohan. 2. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, IESVM CHRISTVM justum. O immensam triumphantis CHRISTI vim! ô præstantiam tanti beneficii inenarrabilem! quo Patri æterno reconciliati & recepti filij DEI ac cohæredes æternæ vitæ, paternorumq; bonorum omnium, efficimur, quò dona Spiritus sancti copiosè & abundanter consequimur: quo in societatem cœlestium bonorum recipimur: quo nobis amplissima trophæa relicta; fidelissimum & tutissimum calamitatum nostrarum asyllum constitutum, murus adversus quasvis tempestates nobis paratus est aheneus: deniq; cujus memor ipse filius DEI nos suos filios in curru triumphali ad æternam gloriam & majestatem, magna & ingenti pompa tandem evehet, & ad se assumet. O insignem triumphum! ô victoriam perpetua non solùm memoria verum etiam æternis laudibus dignissimam! Neq; nos moveat scelerata gens, quæ CHRISTVM certo cœli loco vult includum, & præsentiam ejus in multis locis, præsertim ijs, in quibus se esse & adfuturum perspicuè affirmat, negat. Nam quæ pro se affert natio illa speciosa quidem sunt & primo aspectu maximè solida: ac si verbo DEI ceu lydio lapidi subjiciantur, subito corruunt ac dissipantur, non secus atq; glacies radijs solaribus

laribus exposita continuò solvi atq; evanescere  
consuevit. Quid enim tam ab omni non dicam pie-  
tate sed quoq; mente alienum est, quam inexhau-  
stam DEI sapientiam, & immensam ejus potentiam,  
cui nihil impossibile modicis naturæ regionib. inclu-  
dere velle? Sed missis illis DEO pro tanta beneficio-  
rum magnitudine, triumpho suo parta, gratias aga-  
mus, & ad preces nos convertamus, ijsq; finiamus:

<i>Jesu nostra Redemptio,</i>	<i>Ipsa te cogat pietas</i>
<i>Amor &amp; desiderium,</i>	<i>Vt mala nostra superes</i>
<i>Deus creato romnium</i>	<i>Parcendo: &amp; voti compotes</i>
<i>Homo in fine temporum.</i>	<i>Nos tuo vultu saties.</i>
<i>Inferni claustra penetrans</i>	<i>Tu esto nostrum gaudium,</i>
<i>Tuos captivos redimens</i>	<i>Qui es futurus premium</i>
<i>Victor triumpho nobili</i>	<i>Sit in te nostra gloria</i>
<i>Ad dextrâ Patris residens.</i>	<i>Per sempiterna secula.</i>

A M E N.

---

DN. MATTHÆO SVANTH

Amico candido,

**D**Vm Matthæe sacram describit Oratio pompam,  
Et tua mens Christi nobile cantat opus;  
Ille triumphatâ redivivus morte Redemptor  
Quâ redit ad patrias lætus ovansq; domos,  
Quoq; hominum generi illuxit Spes summa salutis  
Aeternæ, atq; iterum regna beata patent.  
Gratulor; haud Phœbo aut Phœbei numinis uni  
Hoc gratum; summo res ea grata DEO.  
Gloria cui soli, soli debentur honores

Summi, atq; ulterius mens pia si quid habet!


*M. Petrus Boethius Holf.*

---

**C**Hristi iter in summum, laudanda laude decoras  
Eveniat munus forsan ut inde bonum?  
Scitè agis, huic Domino quod des tua dona fideli,  
Nam labor in Domino nullus inanis erit.

*Johannes Palemonius Magdeb. Med. St.*









trem pro nobis interpellat, ut nos suo sanguine  
et gloria liberatos, in gratiam clementissimè  
Itaq; Apostolus Paulus in fide gloriatur  
phat, Rom. 8. Quis accusabit electos DEI  
est qui justificat. Quis est qui condemnet?  
STVS est qui mortuus est, imò qui etiam resur-  
est, & est ad dextram Patris, & intercedet pro  
1. Iohan. 2. Si quis peccaverit, advocatum  
apud Patrem, IESVM CHRISTVM iustitiam  
immensam triumphantis CHRISTI vim!  
stantiam tanti beneficij inenarrabilem!  
æterno reconciliati & recepti filij DEI ac-  
des æternæ vitæ, paternorumq; bonorum com-  
efficimur, quò dona Spiritus sancti copiose  
danter consequimur: quo in societatem eor-  
bonorum recipimur: quo nobis amplif-  
phæa relicta; fidelissimum & tutissimum  
tum nostrarum asylum constitutum, murus  
qualvis tempestates nobis paratus est aher-  
niq; cuius memor ipse filius DEI nos suc-  
curru triumphali ad æternam gloriam &  
tem, magna & ingenti pompa tandem eve-  
se assumet. O insignem triumphum! ô  
perpetua non solum memoria verum etiam  
laudibus dignissimam! Neq; nos move-  
ta gens, quæ CHRISTVM certo coeli loco  
sum, & præsentiam ejus in multis locis,  
ijs, in quibus se esse & adfuturum perspicue  
negat. Nam quæ pro se affert natio illa spe-  
dem sunt & primo aspectu maxime sol-  
verbo DEI ceu lydio lapidi subjiciantur, &  
ruunt ac dissipantur, non secus atq; glacie



26  
7.8.33.